

Gd. 62.



SCHEDIASMA QUINTVM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORVM,

A. MCCXCV.

QVO
AD LVSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS
AUTVMNALEM,

B. VIII. MENSIS SEPTEMBRIS A. R. S. cIo Io CC LXXVII.

CELEBRANDAM,

PATRONOS, FAVTORES,
ATQVE
AMICOS LITTERARVM,
QVA PAR EST OBSERVANTIA, ET HVMANITATE

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

WISBADII,
IMPRIMEAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.



ADDENDA AD SCHEDIASMA IV. p. 89.

A. MCCXCIV. d. XXI. Octobris in castris ad Zizam *Adolphus* Monasterio in *Neresheim* ordinis Sancti Benedicti Augustensis diocesis hujusmodi privilegium concessit:

NOS ADOLPHUS, Dei gracia, Romanorum Rex, semper Augustus, ad universorum Sacri Imperii fidelium noticiam cupimus pervenire, quod cum pia & religiosa loca nostris desideremus temporibus crescere in temporalibus & augeri, ut temporalium subsidio in eisdem etiam spiritualia nutriantur, Honorandis & Religiosis viris Abbati & Conventui Monasterii in *Neresheim* ordinis Sancti Benedicti Augustensis Dioecesis indulgemus & concedimus privilegio speciali, quod de possessionibus prædialibus, & feodalibus, quorum dominium sine nostra permissione, auctoritate & manuali consensu transferri non poterit, in suum Monasterium, & ejusdem usus ac reditus ad summam quinquaginta marcarum argenti annis singulis ascendentes, legacionis, donationis, emptionis, vel cujuscunque alienaciones justo titulo recipere, emere & comparare valeant, sic, ut sine nostra requisicione peractis & perfectis hujusmodi alienacionis & translacionis dominii titulis, ex consensu eorundem Religiosorum, nec non Ministerialium Vassallorum, feudatariorum, vel hominum Imperii inter se contrahencium, statim dominium possessionum earundem perpetuo possidendum, in ipsos & suum Monasterium transeat pleno jure, presencium testimonio litterarum, datum in Castris prope Cice duodecimo Kalendas Novembris, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, Regni vero nostri anno tertio.

Vid. deduct. in causa des Closters *Neresheim*, contra den Herrn Grafen zu *Oettingen-Wallerstein*, a. 1759. p. 644. *Bepl.* N. 200.

JO. ERH. WAGNER
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII

WISBADA

LEHRBÜCHER DER MATHEMATIK UND DER NATURWISSENSCHAFTEN



ACTA A. MCCXCV.



Arfit anno superiori per aliquot menses *Thuringia* tam funesto & atroci bello, ut fere nulla illius pars immunis calamitate esset. Sed tantum abfuit, ut finito anno valde exoptatus & jucundus pacis dies adveniret, ut potius, novo illufcente anno, ab utrisque partibus pugnantibus nova belli consilia caperentur. *Adolphi* victoria filiis Landgravii *Alberti* erat acerba, qui oppidis expugnatibus ægre carebant. Rex vero parta tueri, & debellare superbos studens, ad novas copias comparandas petebat regiones, Rheno finitimas. Qua mente ex *Thuringia* rediens, *Nordhufum* pervenit, ubi d. II. mensis Jan. *Monafterio* S. S. Apostolorum *Simonis & Judæ*, quod exstitit *Goslarie*, privilegia ab Imperatoribus tradita confirmabat. (a)

Inde postquam se converterat *Mülhufum*, illum adibant fratres *Otto* & *Conradus*, *Marchiones Brandenburgenses*, jurium & privilegiorum suorum confirmationem rogantes. Inter alia privilegia etiam hoc illis a divinis Imperatoribus obtigerat, ut domini feudorum in Ducatu *Pomeranie* constituti essent: quod non solum Rex *Ivdericus II.* a. 1231. renovavit, sed etiam *Adolphus* a. 1295. d. 8. Jan. *Mülhufii* patrocínio suo munivit. Testes hujus rei erant Ar. *Barmbergensis*, *Henr. Brixienfis*, *Henr. Mer-*

N 2

(a) *Heineccii* Antiquit. Goslar. p. 314.

senburgensis, Episcopi; *Albertus Landgravius Thuringiæ & Otto, Comes Anhaltensis; Eberhardus Catimelibocensis, Gerhardus Diezensis, Henricus Nassovius, Joannes Saynensis, Eberhardus Spizenbergensis, comites; mobiles viri, Gerlacus de Bruberg, Ulricus Hanoviensis, Gottfridus de Nerenburg, Henricus de Hsenburg, Fridericus de Biëgen & alii plures.* (*)

Postridie eodem loco privilegium quoddam ab Imperatore *Ottone Episcopatu Halberstadenſi* impertitum, habebat ratum. (b)

Præterea in isto oppido quandam donationem, quam *Agnes, conjux Regis Henrici III. Ecclesiæ St. Petri Goslariensis* fecerat, renovabat. (c)

Eodem loco & die *Ottoni*, Marchioni Brandenburgico commisit negotia Imperii in civitate *Lubicensi* administranda. (d)

Quo tempore etiam *Alberto, Comiti de Barby* ob fidelitatem *Adolpho* præstitam, trecentas marcas argenti assignabat, ea lege, ut ex censu Judæorum, qui illius erant cives, eas colligeret, donec ista pecuniæ summa ab *Adolpho*, vel ejus successoribus fuerit perfoluta. (e)

Denique adſunt indicia, adhuc d. XVII. Jan. nostrum versatum esse *Mülhufii*. Namque privilegia a divi Imperatoribus *Monasterio Volkersrodenſi*, ordinis Cist. Mogunt. diœcesis tradita, auctoritate sua comprobavit. Cujus rei testes, Regi nostro apparentes, erant *Episcopi, Bambergensis & Brixensis, duo Ottones, Marchiones Brandenburgici, Albertus Landgravius Thuringiæ, Otto Anhaltensis, Eberhardus de Breuberg, & alii plures.* Quas vero litteras pro more *Ebernandus* aulæ regiæ *Cancellarius* obſignabat. (f)

Circiter idem tempus illi *Monasterio* privilegia quædam ab Rege *Conrado*, aliisque concessa, liberaliter confirmavit. (g)

Quid? Quod eidem *Monasterio* pro compensando damno ab regio exercitu in Thuringia illi allato, quotannis tres marcas reddituum perfolendas curavit. (h)

Quæ

(*) Ausführung der Rechte Sr. Königl. Majestät von Preussen, auf das Herzogthum Pommernellen u. c. mit Beweis-urkunden. Berlin 1772. p. 46. seq. N. I. Conf. Neueste Staatsbegebenheiten, St. III. p. 268.

(b) *Lunig. contin. specileg. Eccles.* p. 801. de *Ludovig Reliq. T. VII.* p. 419. Plures hujusmodi confirmationes l. c. p. 419 -- 484. *Lenzfeldii Antiq. Nemar. Halberstad.* p. 35. *Antiquit. Blankenburg.* p. 64. *Beckmanni Anhalt. Hist. P. I.* p. 72.

(c) *Heineccii Antiq. Goslar.* p. 415.

(d) de *Ludovig, Reliq. T. II.* p. 251.

(e) *Lenzens Fortsetzung Friedr. Lud. Grafen Saal.* p. 45.

(f) *Friderici Rudolphi Gotha dipl. P. II.* p. 269.

(g) Idem p. 266.

(h) Idem p. 271.

Quæ igitur litteræ indicio sunt, quam vehementer errent, qui criminantur, *Adolpho Nassovio* Monasteria & religionem non fuisse curæ, suisque militibus illa quovis modo vexandi fecisse potestatem. Nonne istæ litteræ testes sunt, qua is humanitate religionis cultores exceperit, qua benignitate audierit, qua comitate responderit, qua clementia illorum desideriiis satisfecerit?

His igitur rebus *Mülhusii* peractis, *Isenacum* pergebat: hoc enim loco d. XVII. Jan. illum privilegia & jura oppidi *Erfurti* confirmasse, legimus. (i)

Ex quo gratia documento manifestum est, *Erfurtenses* hoc tempore partes *Adolphi* secutos esse.

Idem beneficium obtinebant hoc die *Canonici*, ut vocant, *Isenacenses*; quorum omnia privilegia ab *Alberto Landgravio* accepta confirmavit. (k)

Tantum igitur abest, ut *Adolphus Ecclesiis in Thuringia* intulerit vastationem, ut potius exemplum sit venerationis, qua se divinas res profequi, palam ostenderit, honorum, quos piis sacerdotibus habuerit.

Rex autem, relicto *Isenaco*, nobis occurrit in loco, quem scriptores vocant *Ruelden*, ubi omnia jura & privilegia *Mediolanensium* d. XIX. Febr. confirmavit. (l)

Ex quo facile potest percipi, *Adolphum* de juribus suis in *Italiam*, a majoribus ad se translatis, discedere noluisse.

Memini quidem, quosdam criminari, *Rudolphum* hujusmodi jura neglexisse, nexum ordinum Italiae cum Imperio pro pecunia accepta dissolvuisse, atque obsequium, quod Pontifex Romanus Imperio debuerit, temere remisisse. (m)

N 3

Verum-

(i) *Beilagen zu des Rathes zu Erfurth Gegenbericht wider das Erzkist Mayn.* a. 1646. p. 15.

Lunig. cont. IV. Th. II. Fortsetz. p. 440.

Ceterum secundum litteras, quas supra citavi, d. 17. Jan. *Mühlhusii*, & eodem die *Isenaci* Regem fuisse, cum mirum videatur, verosimile est, aut mendum (diei) in uno vel altero scripto irrepsisse, aut ad illam interpretationis regulam confugiendum est, vi cujus duæ litteræ unum datum, sed non semper unum actum, ut dicunt, habere possunt.

(k) *Paullini Annales Isenacenses*, p. 66.

(l) *Du Mont* T. I. p. 292. Quis vero ille sit locus, *Ruelden*, ubi hæ litteræ datæ dicuntur, dubium est; an non *Fulda*, vel *Fulden* potius legendum sit, in medio relinquo. Certe hujus Abbatiae tutor erat electus *Adolphus*. Conf. *Schediasma* III. p. 53.

(m) *Sigonius* de regno Italiae. L. XX.
Lehmanni Chron. Spir. L. V. c. 106.

Verumenimvero id, quod vitio vertunt *Rudolpho*, abest a persona illius, quippe qui longe lateque Imperii fines proferre, non minuere, studebat: nec tabula de hujusmodi libertate, quam vendidisse dicitur, ostendi potest; neque scriptores coevi hujus rei faciunt mentionem. (n)

Noster exemplo docet suo, *Italiam* nondum Imperii vinculis fuisse exemptam, cum *Mediolanensium* privilegia confirmaret. Atque in hac re, sicut in aliis, in vestigiis antecessoris sui insistebat. Quemadmodum enim ille ad Imperii negotia administranda *vicarios* suos in terram *Mediolanensem*, *Lombardiam*, & *Thusciam* miserat, ita etiam *Nassovius* eundem *Matthaeum* Vice-Comitem ea dignitate, qua fuerat apud *Rudolphum*, esse jubet, illum d. XXI. Mart. a 1294. Imperii vicarium confirmando.

Quam ob causam *Adolphus* quatuor mittebat legatos, qui illum huic muneri in conventu publico *Mediolani* d. II. Maj. solenniter praeficerent. Quo facto non solum *Mediolanenses*, sed etiam alia Longobardiae oppida, quo venerant legati *Adolphi*, comitantibus praefectis *Matthaei* militaribus, Regi nostro jurejurando confirmarunt fidem. (o)

Ita prudenter agebat *Adolphus* retinendo morem *Rudolphi*: hujusmodi imperio, qui nihil insoliti, nihil duri habebat, Itali facile regebantur.

Ex his igitur judicari potest, cur confirmando *Mediolanensium* privilegia in litteris, quas supra diximus, illos vocet fideles suos, dilectos, & subiectos, eisque omnem polliceatur gratiam.

At non pari fortuna utebatur *Adolphus*, cum a. 1296. *Joannem* de *Cabillone* in *Thusciam* mitteret, eo consilio, ut is huic provinciae nomine Regis praefectus. *Thusci* enim, qui copulam cum Imperio Romano magis magisque dissolvere studebant, illum, quem mittebat *Adolphus*, *vicarium* non ferebant. Quocirca implorantes auxilium Pontificis *Bonifacii VIII.* hunc

(n) *Conring* de finibus Imperii. p. m. 501.

(o) *Franciscus Pipinus* in Chron. L. IV. in *Murat.* Script. Ital. T. IX. cap. 29. p. 734. ita rem exponit:

Rex iste *Adolphus* nobilem virum, *Mattheum*, Vice-Comitem Capitaneum tunc populi *Mediolani*, *Cumanum* *Novariae*, *Vercellarum*, *Alexandriae* & *Terdonae*, per litteras regales patentes regali sigillo munitas, vicarium suum & Imperii in *Lombardia* provincia statuit, committens eidem *Mattheo* merum & mixtum imperium & jurisdictionem omnem, & potestatem ejus nomine inibi exercendas, qua littera datae fuerunt XII. Cal. April: Indictione VII. anno Domini MCCXCIV. regni ejus anno secundo.

Calvan. Flamma Manip. flor. c. 130. apud eundem T. XI. p. 714. Qui autem errat, asserens, Regem *Adolphum* a. 1293. ab *Alberto Ausrinaco* occisum esse, & imperium usque ad a. 1298. vacasse.

Bern. *Corio* Historia di Milano, P. II. p. 303.

Säberlin R. 5. B. II. p. 647.

hunc ad suam perduxerunt voluntatem, promissis octoginta millibus florenorum, ad quam summam *Luccenses XIV.* millia conferebant, si ab isto Regis vicario liberarentur. *Bonifacius*, accepta pecunia, *Joannem de Cabillone* remisit domum, ejusque fratri *Hugoni de Cabillone Episcopatum Leodiensem* contulit. (p) Sufficit, *Adolphum* jura Imperii in Italia non neglexisse.

Sed quoniam in *Italiam per Adolphi* negotia venimus, non indignum videtur, res memorabiles, quas *Adolphus* hoc anno 1295. cum Pontifice Romano egit, memorare. Accidit illo tempore, quo *Adolphus* imperium adeptus est, ut sedes Apostolica vacaret. Tandem post biennium, a *Cardinalibus* d. V. Julii a. MCCXCIV. Pontifex *Celestinus V.* Perugiæ electus, Aquilæ consecratus sedem ac domicilium Neapoli collocavit. Quum vero hic vir ætate confectus, non tanto ingenio polleret, quanto ad Ecclesiæ Romanæ negotia gubernanda opus erat, paullo post *Purpurati* errorem suum agnoscentes, *Celestinum* admonebant, ut se suo magistratu ultro abdicaret. Idque illi facile persuaserunt. Quo facto eligebant virum prudentem

(p) *Prolomai Lucensis* brev. Annales ad a. 1296. in *Muratorii* Script. T. XI. p. 130I. hæc tradunt:

Eodem anno 1296. *Adolphus*, Rex Alemanniæ & Romanorum Dominum *Joannem de Gabillone* mittit vicarium in *Thusciam*, quem Papa *Bonifacius* consentaneè recepit. Unde dictus *Bonifacius* Tuscos requirit, ut dicti *Thusci* volentes excutere jugum de manibus Imperii, eidem Bonifacio obtulerunt 80 mille florenos, vel circa, de quibus *Lucenses* solverunt 14 mille florenos, quamvis non esset necessarium, quia adhuc dictus *Adolphus* confirmatus non erat in Imperio. & ideo eidem administrationis non competeat officium, nisi quantum suæ genti placebat; propter quam causam dictum dominum *Joannem* Papa remisit ad propria, dando fratri suo Episcopatum Leodiensem, & pecuniam sibi retinuit pro terris Imperii eidem collatam, in hoc volens ostendere, Dominium Papæ Dominio Imperatoris præferri.

In erroribus, quos hic auctor subnectit, non moror. Ipsa jura ab *Adolpho* & illius successoribus, in Italia exercita, hujus errores confutant.

De genere hujus *Joannis de Cabillone* refert *Pontus Heuterus* in *Burgundicis*, p. 7. & *Sagittarius* in commentar. de origine & successione Principum *Arausio-nensium*, p. 24. Ipsa litteræ, quibus Rex *Joanni de Cabillone* hanc dignitatem confirmavit, latent, sed ejusdem argumenti fuisse videntur, ejus litteræ, quibus olim illa dignitas *Joanni de Avernis* tradita fuit. *Dithmar* diss. acad. p. 98.

Male vero annales *Steronis* hunc casum ad a. 1293. referunt, quia *Bonifacius*, qui hunc vicarium humane accepisse dicitur, hoc anno nondum dignitatem Pontificis obtinuerat.

Ex sententia *Villani* quidam *Joannes de Celoria Burgundus*, sub auspiciis *Adolphi* a. 1294. ut vicarius missus est in *Thusciam*, sed *Joannem de Celoria* & *Joannem de Cabillone* eundem esse, recte judicat *Mascovius* in disert. de Jure Imperatoris & imperii in magnum Etruriæ Ducatum, p. 23. cæterum *Joannem de Cabillone* fuisse *Burgundum*, eique in *Burgundia* magnas fuisse possessiones, docet *Gundling* in comment. de jure Imper. & Imperii in magnum Etruriæ Ducatum, pag. 58.

tem & callidum, in magnis negotiis exercitatum, avidum potentiae, honoris, divitiarum, *Bonifacium VIII.* qui d. II. Jan. a. MCCXCV. Pontificis excipiebat partes. (q)

Quemadmodum igitur *Adolphus* post electionem suam vacante sede Apostolica, ut supra diximus, ad collegium *Cardinalium* pro electionis suae approbatione & confirmatione *Comitem Oettingensem*, *Ludovicum VII.* transmiserat Romam, (r) ita, cum *Bonifacius* Ecclesiae praesse cepit, *Episcopum Brixensem*, *Præpositum Wormatiensem* & nobilem virum *Gerlacum de Hsenburg* misit Romam, novo Pontifici pro more gratulationem & pietatem declaratueros suam. *Bonifacius* legatis benigne exceptis, duabus litteris fere ejusdem argumenti d. XXVII. Jun. Anagninae datis, Regi nostro respondebat. Laudat in illis *Adolphi* pietatem, pollicetur illi suam benevolentiam, admonet eum officiorum, quae a Rege Germanorum Ecclesiae Romanae, ejusque capiti praestanda esse putabat. Nec his erat contentus. Alia res ipsi erat curae, quam hac data occasione conficere studebat. Etsi enim facile perspiciebat, & alio tempore confessus erat *Bonifacius*, Reges Galliae, in iisque Regem *Philippum* multa ex regno *Arelatensi Imperio Germanico* per scelus eripuisse, imprimis vero adversum jus *Burgundiae Comitatum* sibi vindicare conari; (s) tamen ille jam *Philippi* studiosus, longe aliter agitabat animo, ac antea. Ipse trahere omnia, & alias deinde alias morae causas facere cepit. *Adolphum* & *Eduardum* prius omnia pati volebat Pontifex, quam bellum sumere contra Galliam. Postquam enim per idem tempus adversum profanos a Christianis in *Palaestina* male erat pugnatum, nihil illi erat antiquius, quam ut isti Reges in gratiam redirent, & conjunctis copiis pro gloria Christianorum sine mora in *Palaestina* certarent. Neque tamen negaverim, *Bonifacium*, cui divitiae bono honestoque potiores erant, commodo quodam privato ad illa pacis consilia adductum fuisse. Neque hujusmodi induciae Regi Galliae displicebant, quia illi ostendebatur ratio, magnum effugiendi bellum, & illa retinendi, quae isti Reges armis recuperare statuerant. Itaque Pontifex id imprimis efficere studebat, ut Regis Romani sibi conciliaret animum: cui rei nihil oportunius videbatur, quam praesentia legatorum *Adolphi*. Igitur hoc pacis negotium *Archiepiscopo Re-*

(q) *Jacobi Card. s. Georgii* vita *Caelestini V.* in *Murat. Script.* T. III. P. I. p. 613. seqq. vita *Bonifacii VIII.* apud eundem ibidem p. 670. & T. III. P. II. p. 435.

Prothomai Lucentis Hist. Eccles. L. XXIV. c. 29--36.

Raynald. T. XIV. ad a. 1294. n. 3. seqq. ad a. 1295. n. 1. seqq.

(r) *Anonymus Leob.* in Chron. L. V. c. I. cont. *Mart. Poloni*, apud *Eckhart* in corp. Hist. med. avi T. I. p. 1429. *Raynald.* annales Eccles. T. 14. ad a. 1295. p. 483. conf. *Schediasma* II. p. 29.

(s) *Schediasma* III. p. 62. seqq.



Regino, & *Episcopo Sienense* d. XXII. Jun. commisit; qui, comitante *Praefecto Wormatiensi*, ad *Adolphum* profecti sunt, ut ab instanti festo *nativitatis Joannis Baptistae* inducias annuas impetrarent. Interea reliqui regis legati diutius morabantur *Romae*, cum *Bonifacio* visum est, pacis consilia cum illis confociare. Quod ubi secus processurum esset, neque quod intenderat, effici posset per legatos, graves minas, adeoque non dubie excommunicationem illis Regibus denunciare iussit. Neque jurisjurandi, quod *Adolphus* de bonis Imperii tenendis & vindicandis dederat, haberi rationem Pontifex volebat. Mirum est, qua cupiditate arserit *Bonifacius*, ut *Adolphum* ab armis contra *Philippum* deterreret, duas eodem die in hac caussa scribens epistolas. Quibus etsi plurima hactenus recitata sint communia, tamen altera est vituperationis plenior, quae Regi nostro per simulationem amicitiae & prudentiae clam reddita fuisse videtur. Neque in hac ob *Thuringicum* inceptum, sed ob bellum Gallicum incipiendum ita in Regem *Adolphum* invecus est: *Suntne ista, fili! tuae magnitudinis laudanda principia, sunt invitatoria & procuratoria Romanae Ecclesiae ad tuum negotium feliciter promovendum? Nam cum ad procurandam totius Christianitatis pacem & quidem electus existas, & quasi a Domino evocatus, tu in hujusmodi tuis initiis ad mundi turbationem & bella in Christianos, Principesque catholicos potenter te praeparas, pro viribus te accingis, tuosque conatus non sine multa instantia tuae derogationis exerces.*

Pari modo *Bonifacius Adolphum*, quod Regis Anglici contra gloriam suam factus sit stipendiarius, hisce verbis vituperat: *Nunquid decet tantum & tam potentem Principem, ut tanquam simplex miles sub colore mercedis cujuslibet ad actus bellicos inducaris? Haec profecto idcirco producantur in medium, quia tui honoris & fame exaltationis diligimus incrementum.* (t)

Quid vero de hujusmodi argumentis ab invidia ductis statuendum sit, jam supra diximus. (u)


Eodem tempore Pontifex aliis usus est ministris, quos apud Regem plurimum valere putabat. In his erat *Diether*, frater *Adolphi*, postea *Archiepiscopus Trevirensis*, quem diligenter docet, quomodo animum fratris sui ad pacem vertere debeat. (x)

Circa idem tempus Pontifex ad *Archiepiscopum Moguntinum*, *Gerhardum* misit litteras, monens, ut quovis modo mentem *Adolphi* avidam belli

(t) *Raynald*, *annal. Eccles.* ad a. 1295. p. 483. seq.

(u) *Schediasma* III. p. 70.

(x) *Raynald*, l. c. p. 484. ubi hic *Diether*, *Dominicani* instituti religiosus vir, auctoritate apud *Adolphum* florens dicitur. *Gensbeini Fasti Limburg.* p. 136.



belli contra Galliam gerundi flecteret, certe neque ipse, neque alii Imperii ordines Regi in hujusmodi bello ferrent auxilium. (y)

Sed *iusjurandum*, quo pro bonis Imperii-tuendis & restituendis obstrictus erat, plus apud Regem, quam *Bonifacii* verba valebant.

Neque *Adolphus* ex litteris, quas Rex Gallia illi circa hoc tempus remittebat, cognoscere potuit, *Philippum pulchrum* de bonis Imperii reddendis, amice cogitare. Ille non æquo ferebat animo, quod superiori anno d. XXXI. Aug. *Adolphus Norimbergæ* sibi indixerat bellum. (z)

Quum vero *Nassovius* non statim, quod minatus erat, exsecutus esset, bello Thuringico moram adferente, Rex *Philippus* per legatos suos explorare studuit, an noster de sententia sua, quam antea significarat, decesserit. Quod si vero in ea perseveraret, se tanquam diffidatum cum illo acturum esse, d. XXIV. Mart. declarabat. (*)

Quum igitur Rex Francorum vim vi repellere conaretur, tantum ab-

(y) *Raynald.* l. c.

(z) *Schediasma* III. p. 56.

(*) *Leibnitii* Cod. I. G. dipl. P. I. p. 32. *Lunig.* cont. II. Part. general. p. 186. *Philippus*, Dei gratia, Francorum Rex, magnifico Principi *Adolpho*, Regi *Alemannia*, nuper vestras, ut prima facie apparebat, patentes accepimus litteras in hæc verba; *Adolphus* Dei gratia &c. &c. Quare mittimus ad vos religiosos viros dilectos nostros fratres, *Simonem* de ordine hospital. *Joannis Hierosolymit.* de *Rossemallo* & de *Alnetto* ac *Halcharium* de ordine militiae templi de *Rhemis* armorum præceptores. ad sciendum, si a vobis tales litteræ procefferint, quæ si de vestra conscientia emanarunt, ut prima facie apparere videtur, nisi de contrario nos certificaveritis per præsentium portitores, vel alterum eorundem, cum ex eorum tenore diffidationis materia colligatur, vobis tenore præsentium intimamus, quod tanquam diffidati a vobis deinceps erga vos proponimus nos habere. Actum Parisiis die Mercurii ante mediam quadragesimam, anno Domini millesimo, ducentesimo nonagesimo quarto.

Alias Scriptores Gallici de indictione belli, ab *Adolpho* facta, contentim scribunt, eamque *Vignin* in *Chron. Burgund.* p. 158. vocat superbam denunciationis formulam. *Villanus* apud *Bernab. Montfaucon* en le Monument de la Monarchie Française. T. II. p. 190. hæc scribit: *Philippus* minas hujusmodi nihil curavit. Alii dicunt, *Philippum pulchrum* vel nullum vel superbum dedisse responsum. cont. *annal. Baron.* T. I. p. 312. Quibus temere subscribit. *P. Barre* in *Histoire generale d'Allemagne*, p. 264. & hujusmodi facta male. ad a. 1292. rejicit. Ipsæ vero litteræ *Philippi* argumento sunt, illum non inhumane *Adolpho* respondisse, quamvis sero ob causam, quam supra dixi.

Cæterum si respicimus exemplum harum litterarum, apud *Leibnitium* & *Ennigium* consignatum, illæ a. 1294. datæ esse videntur. Sed ipse dies 24. Mart. huic opinioni repugnat, quia hoc die & anno *Adolphus* nondum ad Francorum Regem scripserat, adeoque tum responso non habere potest locum. Itaque rectius *Georgisch* in *Regestis Chron. dipl.* has litteras ad a. 1295. retulit.

aberat, ut ejus responsio incendium belli extingueret, ut potius illud præter optatum Bonifacii aleret.

Neque ob sædus cum Rege Angliæ factum, *Adolpho* in sententiam *Bonifacii* discedere licebat, præsertim cum *Eduardus* illum crebro hujus pacti commonefaceret. Jam superiori anno statuerant ambo Reges die festo Joannis Baptistæ certo loco agere conventum. Cujus rei memoriam in litteris ad *Sigfridum* Archiepiscopum Coloniensem d. VI. Apr. datis, *Eduardus* renovabat. (a)

Atque ille genero suo, *Joanni Duci Lotharingiæ & Brabandiæ* in eadem caussa ad *Adolphum* d. XXVIII. April. dedit mandata. (b)

Cujus vero diei prorogationem cum *Nassovius* per legatum suum *Robinum de Coverna* petiisset, ille colloquii dies in mensem Augusti protendebatur.

Per idem tempus *Adolphus* cum Rege *Eduardo* querebatur, quod naves civium *Lubecensium* in Anglorum attinerentur custodia, propterea quod illorum merces in Galliam ad hostes Angliæ portari crediderant. Quo errore cognito, *Eduardus* d. III. Jun. *Adolpho* adferens excusationem, merces attentas e custodia emittendas curavit. (c)

Interea ab utrisque partibus sibi adversantibus ea acerrime parabantur, quæ ad bellum pertinerent. Rex Galliæ cum *Florentino*, Comite Hollandiæ, quemadmodum antea cum *Joanne, rege Scotiæ*, & *Comite Luxemburgensi* contra *Adolphum* & *Eduardum* inibant societatem. Hac re Rex Anglorum permotus, *Comitem Flandriæ* ad suas trahebat partes. (d)

Neque *Adolpho* defuit studium, illorum numerum, qui adversus Galliam sentirent, augendi. *Fridericum* Ducem Lotharingiæ d. VIII. April. eo perducere studebat, ut *Henrico*, *Comiti Barrensi*, contra Regem Francorum in finibus *Franciæ*, & *Campaniæ* auxilio, consilio & favore adesse vellet. In quibus litteris ipse commemorat, *intolerabiles injurias & inauditos contentus, quos sacrum Romanum Imperium, in se & subditis suis per elationem Regum Franciæ a multis retroactis temporibus pertulerit, se absque verecundiâ & salvo juramento in susceptione regiminis præstito æquanimiter tolerare non posse.* (e)

Idem ille Comes *Barrensis* postea effecit ut *Henricus de Blamont* partes amplecteretur suas. (f)

O 2

Que-

(a) *Rymeri* acta publ. T. I. P. III. & IV. p. 144.

(b) Idem l. c. p. 145.

(c) Idem l. c.

(d) *Leibnit.* cod. Jur. Gent. Du Mont. Corps dipl. l. c.

(e) *P. Calmet*, Histoire de Lorraine, T. II. en Preuves, p. 529.

(f) *Calmet* l. c. T. II. p. 544.

Quemadmodum vero Pontifex *Adolphum* a bello Gallico abstrahere studebat, ita etiam omnem dedit operam, ut pacem inter Regem Galliae & Angliae conciliaret. Sed *Eduardus* diutius obstinato erat animo adversus ea, quae proposuit *Bonifacius*, excusationem adferens, se inficio & invito *Adolpho* nihil in hac causa decernere posse. At *Bonifacius* in ferendis pacis conditionibus perseverabat, adhibitis quibusdam *Cardinalibus* internunciis. Nec quicquam hic agebatur, de quo non *Eduardus* socium suum diligentissime faceret certiozem. Legati sapius commeabant ulro citroque: in quo negotio inter alios *Adolphus Gottfrido de Clingenfeld* dederat legationem.

Tandem Papa, qui moras agitando non aliud, quam pacem malebat, persuasit *Eduardo*, precibus fatigato, ut d. XIV. Aug. inducias usque ad festum omnium Sanctorum daret: de quibus *Nassovium* d. XXVIII. Sept. docuit.

Et si vero postea legati Pontificis de pacis conditionibus accuratius agere non destiterunt, tamen *Eduardus* exoptatum exitum non poterat sperare. Etenim inter haec negotia varia acciderunt, quae illi suspicionem scelesti consilii praeberent. Jam Calend. Octobr. Anglus querelam detulit ad nostrum, quod *Comes Luxemburgensis* quandam pecuniae summam *Comiti Barrensi* destinatum, interceperit.

Quum vero ille *Luxemburgensis* Imperio Romano esset obnoxius, postulabat *Eduardus*, ut noster satis severe pro rei indignitate decerneret. Neque delectabatur foedere, quo Galli cum *Joanne, Rege Scotiae* contra Angliam tenebantur. Atque haec causa fuisse videtur, cur ante exitum anni adhuc duas legationes miserit ad Regem nostrum, quarum alteram d. VIII. Octobr. obiit *Lucas de Tudercro*, alteram d. XXI. Nov. viri Angliae amplissimi administrarunt. (g)

Ex his igitur facile iudicatu est, *Adolphum* contra Galliam hoc anno non cepisse arma, licet quidam ad id credendum temere industi sint. (h)
Ne-

(g) *Rymer*. I. c. T. I. P. III. p. 144 -- 153.

Matthaeus Westmonaster. ad 1295. p. 424.

Raynald. T. XIV. ad a. 1295. p. 482. seqq.

Chron. Colmar. p. alt. p. 55. in quo haec leguntur: Rex Romanorum cum de Alsatia pervenisset ad terram inferiorem, congregavit exercitum, ut cum Rege Angliae terram Regis Francia pro viribus demoliretur. Audiens haec Papa, compassus hominibus, timens eorum occisionem, misit duos legatos & moratos, ut inter eos ad tempus facerent pacem, vel simpliciter concordarent. Cardinales cum duobus Magistris ordinum litem Regum quibusdam nobilibus commiserunt, ut ipsi infra annum compositionem amicabilem invenirent, quam Papa postea confirmavit.

(h) *Annales Colmar*. ad a. 1295. ita scribunt: Romanorum Rex *Adolphus* expugnata

Neque hac dilatione *Adolphus* quicquam fecit, quod fide sua esset indignum. Sunt quidem, qui ob hanc moram criminantur, *Nassovium* non strenue causam Regis Angliæ egisse, accepta pecunia Anglica, in fide non mansisse, spem socii sui infideliter agendo fefellisse. (i)

Sed omnes *Eduardi* litteræ, quarum hæcenus mentionem fecimus, indicio sunt, *Adolphum* illi nomine perfidiæ minime fuisse suspectum: laudat enim in his ejus benevolentiam, & pro officiis præstitis sapius agit gratias. Ipse Anglus assiduis precibus & monitis Pontificis eo erat perductus, ut pangeret inducias, ad eandemque *Nassovium* impelleret, præsertim cum *Eduardus* nondum paratus atque instructus fuisse ad bellum suscipiendum videatur, illudque in aliud tempus magis idoneum differendum putaret. (k)

Sed revertamur illuc, unde divertimus. Nos *Adolphum* iter facientem supra in loco *Rueden*, vel si mavis, *Fuldæ* reliquimus, dum privilegia *Mediolanensium* confirmabat.

Quo facto ille *Francofurti* apparet, ubi d. II. Martii *Episcopatus Verdunensis*, quod voluit, impetravit. Proferebant litteras, quibus fate-

O 3

gnata terra *Dominorum Misniensium*, iter suum versus *Allatiam* dirigebat, seque præparabat ad eundem contra Regem Franciæ, ut eum de rebus propriis extirparet. At hi annales errant, si putent, jam *Misniam* fuisse expugnata. Neque assentiendum est *Goldasto*, (vid. *Reichsh.* in epist. dedicatoria p. 10.) qui putat, *Albertum*, Ducem Austria a Gallia Regem nostrum arcuisse. Equidem id non negaverim, Regem *Philippum* jam hoc tempore sollicitasse *Albertum*, ut consiliis *Adolphi* contra Galliam obstaret. Sed *Austriacum* vel præfenti, vel insequenti anno Regi nostro intulisse arma, doceri nequit. Illud, quod refert *Goldastus*, magis in a. 1297. de quo infra dicemus, quam in hunc convenit annum.

(i) *Albertus Argent.* p. 109. Rex autem Angliæ propter antiquam *Dominiorum* guerram cupiens aggredi Francum, centum millia marcarum argenti pro auxilio sibi promisso, sed non præstito, *Adolpho* Principi destinavit: qui Rex Rom. infideliter agens, se non disposuit ad bellum, sed a *Marchione Misnensi*, nepote olim *Friderici Imper.* ex filia, odio habente filium suum eundem *Marchionatum* emit, & tempore brevi possedit, exceptis quibusdam munitionibus.

Murii Chron. Germ. L. XXII. in Pift. script T. II. p. 202. Abrogationis causa fuit, quod a Rege Angliæ acceperat centum millia marcarum argenti, ut auxilium ferret illi contra Gallos. Hujus summæ partem debuisset in conscribendum exercitum impendere, partem etiam inter Principes Germaniæ dividere. Sed sibi fere totam servaverat, nihil Principibus dederat, milites paucos sine stipendio miserat in Flandriam, spem magnam prædæ fecit militibus, quam essent inventuri in Flandria. Atque hac via destituit & prodidit, si quis recte existimet, rem, Regem Angliæ, & defraudavit Principes Germanos.

Trithemius Chr. Hirs. ad a. 1294. p. 62. seq.

(k) *Conf. Sæberlin l. c. p. 654.*

tur Rex *Rudolphus*, Regem Gallia finibus regni sui minus contentum, in civitate & diœcesi *Verdunensi* cum quibusdam aliis locis vicinis sibi temere jurisdictionem arrogare. Quas igitur *Rudolphi* litteras *Adolphus* patrocínio suo confirmabat. (1)

Eodem loco d. XXII. Mart. civibus *Fridbergensibus* dedit litteras, ut omnes residentes *Fridbergæ* hoc tempore, quo tributa eis imposita fuerint, illa solvere debeant, etiamsi postea se in alia loca contulerint. (m)

Hinc profectus est Rex *Moguntiam*, ubi ob grata obsequia, quæ illi præstiterat *Ulricus*, Comes *Hanoviensis*, loco *Babenhusio* in Comitatu *Hanoviæ*, privilegium fori hebdomadis, & libertatis Jura, quibus oppidum *Francofurtum* gaudebat, d. XXVIII. Mart. impertivit. (n)

Eo-

(1) P. *Calmer*. Histoire de Lorraine T. II. en preuves p. 529.

Inter multas epistolas, quæ olim a fratribus hospitalibus ordinis Sancti Joannis Imperatori *Leopoldo* ad confirmationem offerebantur, etiam una occurrit, quæ *Adolphus* noster illorum privilegia d. xi. Mart. *Hagenoviæ* confirmasse dicitur. vid. *Beckmanni* Beschreibung des Ritterlichen Johanniter Ordens, p. 118. Conf. *Zäberlin* l. c. p. 653. Sed cum valde dubium sit, *Adolphum* hoc tempore versatum esse in *Allatia*, vel est mendum anni, vel *Hanoviæ* loco *Hagenoviæ* legendum esse videtur, unde se *Francofurtum* facilius contulerit.

(m) Nos *Adolphus*, Dei gratia Romanorum - Rex semper Augustus, ad universorum sacri Romani Imperii fidelium noticiam presentium tenore deducimus, quod concedimus & volumus, quod omnes residentes in *Frideberg* tempore petitionis & impositionis sturarum seu preciarum, sturas ipsas, cum quibus deprehenso fuerint, expediant, & exolvant, non obstante, quod nituntur ad loca alia se transferre. In cujus rei testimonium perpetuo valiturum presentes litteras conscribi, & nostre majestatis sigillo fecimus communiri. Datum apud *Franckenfurt*. xi. Kal. Aprilis. Indictione octava, Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, regni vero nostri anno tercio.

(n) *Adolfus*, Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus. Universis Imperii Romani fidelibus gratiam suam & omne bonum. Benigne gratie nostre provisto, quam sub quoddam humane dilectionis applausu, regalis fortune fastigium clementer amplectitur, subditorum commoditatibus descendere, tanto lubentius ad fideles nostros natura, si quadam necessitate se debet protrahere, quanto magis eos in obsequiorum exhibitione precipuos invenimus, & tam fide, quam opere clariores. Sane, cum ad hoc, in oportunitis locis forum consueverit construi, ut in eis emencium atque vendencium procuretur utilitas, & alterna commoditas augeatur. Nos bona statui reipublica cupientes salubriter providere. Ac nobilis viri *Ulrici* de *Hanowe* consanguinei & fidelis nostri dilecti, ob grata, que nobis impendit obsequia, & adhuc impendere poterit, graviora, devotis precibus inclinati in *Babenhusen* Ebdomadale forum, singulis feriis quartis perpetuo duximus edicendum. Volentes & presenti edicto mandantes, quod omnes & singuli, qui in dicto foro hujusmodi empcionis & vendicionis commercio exercendo confluerint, in personis & rebus, nostra & Imperii protectione gaudeant, & privilegio fo-

ren-

Eodem die Rex noster iudicium quoddam *Oppenheimii* exercuisse dicitur. Adhuc Domini de vasallorum, & hi de illorum conquesti sunt injuria, Cum vasalli crimine felonix se contaminassent, Domini non iudicium Parium expectando, feuda sibi recipiebant. Etenim cum feudatorii tempore interregni essent depravati, & vix in officio contineri possent, factum est, ut illorum ferocix, data occasione, parum indulgerent. Quam ob causam Rex *Rudolphus* a. 1290. *Erfurti* legem sanxerat, ex qua utriusque partis controversias dijudicari volebat. (o)

Hanc igitur legem *Adolphus* confirmans *Oppenheimii*, statuit, ut invasor præfixo die & loco in iudicio *Comparium* & *Convassallorum* causam diceret, contentus sententia, quam hi super hujusmodi invasione duxerint promulgandam. (p)

Quibus *Oppenheimii* factis, iter suum dirigebat in *Alsatiam*, ubi d. VIII. Aprilis *Albæ Selusianæ*, ut supra diximus, *Tindericum*, Ducem Lotharingix litteris monuit, ut *Comiti Barrensi* contra Franciam navaret operam. (q)

Hinc decedens in clauastro *Alba* d. XIII. Aprilis apparuit, confirmans, illius privilegia, ab *Rudolpho* concessa. (r)

Sub initio mensis Maji *Rotenburgii* is morabatur, ubi d. V. Maji privilegium quoddam, a *Conrado II.* Rege Romanorum, *Monasterio Heilbrunnensi* concessum, liberaliter confirmavit. (s)

Postridie sanxit eodem loco privilegium oppido *Weinshemio*, ut nemo extraneus illius cives extra civitatem suam ad causam dicendam cogere possit. (t)

Cæ-

rensum libertatum, concedentes nihilominus eidem Ville omnia libertatis jura, quibus oppidum nostrum & Imperii Franckenvort gaudet, & hæcenus est gavisum. In cujus rei testimonium presens scriptum majestatis nostre sigillo fecimus communiri. Datum Maguncie V. Kal. Aprilis. Ind. octava. Anno Domini MCC. nonagesimo quinto, regni nostri anno tercio.

(o) *Senckenbergii* corp. jur. feudal. p. 576.

(p) *Lunig*. Part. general. cont. II. p. 1530.

Martene Thes. nov. anecd. T. I. p. 1255.

Initium harum litterarum annuit, illas a. 1293. d. 28. Mart. *Oppenheimii* esse scriptas; sed in fine exprimitur annus regiminis tertius, ex quo intelligitur, illas ad a. 1295. referendas esse. Neque fieri potuit, ut a. 1293. d. 28. Mart. illæ darentur *Oppenheimii*, cum d. 26. Martii a. 1293. *Adolphum* in castro *Achalm* prope *Reulingam* fuisset, supra diximus. conf. *Schediasma* II. p. 38.

(q) *Calmet* l. c. not. e).

(r) *Documenta rediviva Wurtemberg*: sub titulo: Herrn — Alb.

(s) *Hockeri* Supplementa zum Heilbrunnischen Antiquitäten = Schatz.

(t) *Lunig*. Part. spec. cont. IV. Th. II. p. 668.

Cæterum *Rotenburgi Adolphus Ludovico VII. Comiti Oettingensi* oppida *Dunkelsbuhl, Weisenburg, Aufkirch, Bopfingen, Harburg*, cum officio scutellatus ibidem pro 1500 libris Hallensium oppignoravit, quas dicitur Comes in instaurato Regis exercitu contra *Fridericum*, filium Landgravii Thuringiæ expendit pariter, & consumpsit. (u)

Postea *Adolphus* nobis apparet *Mosbaci*, ubi d. XXIV. Maji jura *Ecclesiæ Sancti Petri Wimpinensis* renovabat & confirmabat. (x)

Inde iterum properabat *Francfurtum*: quo loco conventui Sanctimonialium ordinis pœnitentiam ex nemore Imperiali ligera arida in usum quotidianum portandi Calendis Jul. facta fuit potestas. (y)

Die XXI. Jul. fuit *Wormatiæ*: hic *Reinaldo* Comiti Gelriæ, sanguineo suo dedit benevolentiæ documenta, cum potestatem locum *Stavern* in *Velavia* ad dignitatem oppidi producendi a *Rudolpho* concessam auctoritate sua confirmaret. (z)

Sed quorsum illæ Regis profectioes & reversiones, hætenus recitatae? Ut pararet copias, quibus ad reparandas vires in Thuringia & ad bellum contra Galliam suscipiendum opus erat. (*)

Quum vero Rex Angliæ nondum idoneum tempus ratus esset, incursionem in terras Gallicas faciendi, *Adolphus* noster, qui exercitum suum compara-

(u) *Langens Materialien zur Oettingischen Ästern u. neuern Geschichte. B. IV. p. 347.*

Ex his igitur intelligitur, istum *Comitem Oettingensem* a partibus *Adolphi* stetisse, ejus castra in Thuringia adversus Landgravium *Fridericum* secutum. conf. Sched. IV. p. 85. Neque in his solum, sed etiam in aliis gravissimis negotiis opera illius magni fuit. *Adolphus* illum, ut supra diximus, pro confirmatione electionis suæ ad Collegium Purpuratorum misit. Idem ille a *Ludovico*, Comite Palatino ad *Adolphum* missus est internuncius in controversia, quam *Gerhardus de Roo* in *Annal. Austr. L. II. & Aventinus* in *annal. Boicis L. VII. memoriæ* prodiderunt. Idem *Oettingensis* inter testes occurrit, cum Rex d. xvii. Mart. a. 1293. privilegia *Spire* confirmaret. *Lunig. part. spec. cont. IV. II. Th. XLIV. Abs. n. 23. p. 474. conf. Schediasma II. p. 39.*

Neque hoc parvi æstimandum est, quod *Adolphus* huic *Oettingensi* a. 1294. d. 8. Jul. *Francfurti* dedit negotium, ut *Monasterium Vultembacum, ordinis S. Benedicti* August. diocesis ab omnibus injuriis, maxime ab invasionibus & turbationibus strenui milites, *Alberti de Burgau*, defenderet. *Langens Materialien* c. c. l. c. N. XXIV.

Cætera Comitûs *Ludovici* merita de *Adolpho* ad a. 1297. infra notabimus.

(x) *Schannari Cod. Hist. Wormat. p. 152.*

(y) *Der Stadt Frankfurt Gegenbericht wegen dem Wildbann, P. III. Besl. p. 17. (Drey Eich.)*

(z) *Pontani Hist. Gelriæ p. 168. Lunig. Cod. Germ. dipl. P. II. p. 1759.*

(*) *Conf. Langens Materialien* c. c. l. c. *Chron. Colm. & annal. Colmar. l. c.*

paratum nolebat esse otiosum, illum in mense Augusto in Thuringiam deduxit. Neque id sine causa fecit. Etsi enim adhuc Ducibus suis in Thuringia relictis imperarat, ubi quisque curaret, tamen *Fridericus* admorsus & *Ticmannus*, absente *Adolpho* majori vi urgentes, partem in Thuringia & Misnia antea amissa terræ recuperaverant. Igitur Rex in Thuringiam ingressus, suis laborantibus auxilio veniendum putavit. Castrum *Frankenstein*, oppidum *Salzungen* & *Cruceburgum* expugnabantur: ipsum autem *Frankenstein* Rex *Abbatie Fuldensi* subdidisse dicitur. (a)

Certe d. XX. Sept. castra ejus ad *Cruceburgum* erant posita: hoc enim die *Henrico*, Abbati *Fuldensi* ejusque Ecclesie jus in locum *Hayn*, a majoribus acceptum, confirmavit. (b)

Inter alios viros nobilissimos hoc tempore Regi nostro apparentes, fuit *Archiepiscopus Moguntinus*, quod ex litteris, d. XXI. Sept. in castris apud *Cruceburgum* datis, intelligendum est. (c)

Rex per quatuor hebdomades in obsidione *Cruceburgi* hærens, videbatur ipso hujus loci castro non potiturus. Oppido autem incenso, oppidani in castrum confugiebant, quos deinde penuria aquarum ad deditionem coegit. Neque tamen totam Thuringiam in suam poterat redigere potestatem. Rex vero, qui non habebat tempus in *Thuringia* morandi, exercitu in hiberna dimisso, summam imperii ad *Gerlacum de Breuberg* detulit. (d)

Cx-

(a) Breviar. Fuld. apud *Paullini*, p. 440.

(b) *Schannati* Cod. Hist. Fuld. p. 219.

(c) *Joannis* rer. Mog. T. II. p. 661.

(d) *Langii* Chron. Cil. ad a. 1294.

Addit. ad *Lamb. Schafnab.* ad a. 1295.

Hist. Austr. ad a. 1292. In qua autem auctor errasse videtur, asserens, *Adolphum* per totam hiemem in Misnia commoratum, cum valde dubium sit, an *Adolphus* hoc anno fuerit in Misnia. Præterea data occasione me ipsum retexto, qui errore deceptus hunc locum supra allegavi ad a. 1294. Schediasma IV. p. 90. not. s).

Hist. Landgr. Thuring. c. 78. *Chron. Monasterii St. Petri in Monte Crucis* ad Werram apud *Paullini* p. 298. hæc refert: Iste *Adolphus*, infestum nobis nomen, crucis montem aggressus, vadum fecit per Werram, non procul a loco, qui dicitur *Kumpfrey*, quem adhuc vocamus *Königsfurt*. Ad hunc collem posuit castra sua, & faciebat sibi ligneam caminatum, quam miles *Adolpshurg* nominabat, vulgus vero noster *Ailsburg*. Ex hoc colle per aliquot septimanas variis modis afflixit novellam, & vix cineribus suis surgentem civitatem, fortiter se defendentem. Igne autem injecto, in cineres denuo collabebatur tota. Cives præsidium & salutem suam in burgo sperantes eo confugiebant; qui poterant. Multi generosi nobiles in hoc burgo, nominatim *Putlerii*,

Cæterum referunt, *Comites Græningenses*, qui eodem genere, quo *Wurtembergici*, hoc anno ab Romanorum Rege terris suis esse expulsos, *Adolphum* illas, ut addit *Crusius* in annalibus Sueviæ, *Comiti Landavia* oppignorasse; Regem vero *Albertum Eberhardo*, *Comiti Wurtembergico* pro sumptibus in bello adversus *Adolphum* compensandis a. 1301. tradidisse. (e)

Denique non desunt, qui dicunt, *Poloniam* vincula, quibus cum Imperio Germanico conjuncta fuerit, circiter hoc tempus rupisse. At firmior illorum est sententia, qui docent, *Poloniam* jam regnante *Fridrico II.* tot negotiis in Italia districto, jugum Imperii Romani a se repulisse. (f)

Quibus alio tempore plura, quæ ordine subsequuntur, addere constitui. Jam vero omnes, qui *litteras inter nos colunt*, & *amant*, ea qua singulis debetur, observantia, oro rogoque, ut die dicto locoque consueto venerabili sua præsentia *lustrationis nostræ* dignitatem augere velint, & quanti *Gymnasium æstiment*, testatum faciant. Ipsium *Examen hora VIII.* matutina instituire est animus.

Ierii, Nesselrotii, Hopfgartii, Steinii, Strugeri, Stubii, Pferdsdorfii, Frobbii, Crutzburgii, & forte alii, omnes laboribus bellicis diu assueti & fortes viri, qui conjunctis animis & viribus omnem vim eludebant. Sed aquæ penuria ad deditionem eos tandem coëgit anno Domini MCCXCV.

(e) *Pfessinger* ad vitriarium T. III. p. 964,

(f) *Conring.* de fin. Imp. L. I. c. 18. & L. II. c. 29. *Jo. Schulzii* Tr. de Polonia nunquam tributaria. Sect. VII. & VIII. p. 189. seqq.



HORA II. POMERIDIANA.

Actum Oratorium ipse, rem Scholasticam *Græcorum & Romanorum cum hodierna comparando*, brevem orationem habiturus, auspicabor, atque simul gratiam SERENISSIMI PRINCIPIS, PATRIÆ PATRIS, in amplificando *Auditorio Oratorio*, vulgo *Augusteo*, devota mente prædicabo.

Deinde *vir humanissimus*, atque *Musicæ peritissimus*, LUDOVICVS JACOBVS WEIGEL, Neostadiensis ad Ays. per aliquot annos Cantor-Adjunctus *Wezlarie*, post fata b. *Casp. Gottlob. Salzmanni*, nuper apud nos munus *Cantoris* adeptus, solemnibus nostris convenienter concentum fidium & vocum moderabitur.

Tum ex *Classe Prima* bonarum artium cultores declamabunt :

- 1) Jo. Fridericus KOEPP, Wisbadensis, *imaginem vite humana exprimet.* Lat.
- 2) Gottfr. Christ. KOERNER, Wisbadensis *sapientem rerum visibilibus contemplationem commentabit.* Carm. Germ.
- 3) Philipp. Casimir. DIEFFENBACH, OberRhoda-Emsensis Nass. *fructum ex religione in rempublicam redundantem demonstrabit.* Lat.
- 4) Fridericus Theodor RODRIAN, Neubamberga-Palatinus, *incitamenta virtutis juventuti proponet.* Germ. Valed.
- 5) Henr. Christian. Wilhelm HOFFMANN, Wisbadensis, *a detestabili invidia dehortabitur.* Germ.
- 6) Jo. August. Ludolph. KAISER, Welteroda-Naffovius, *amorem patriæ describet.* Gall.

Postea ex *Classe Secunda de Satellitibus planetarum* inter se collocaturi prodibunt :

- 1) Fridericus Christian HANDEL, Wisbadensis.
- 2) Christian Wilhelm. HENCK, Idsteinensis.
- 3) Arnold. Fridericus Gottfried. KOPPE, Berga-Naffovius.
- 4) Joannes ACKERMANN, Wezlarientis.
- 5) Jo. Georg. Henricus SCHLOSSER, Schönberga-Hachenburgenfis.

Postre-

Postremo ex *Classe Tertia & Quarta* de *GEORGIO AVGVSTO, Serenissimo Principe Idsteinensi b. m. olim sæpius Iustrationibus Scholasticis præsentè, inte se conferent :*

- 1) Carolus Salomon NOELL, Wisbadenſis.
- 2) Philipp. Christoph. ROEDERER, Vſingenſis.
- 3) Georg. Auguſt. Wilhelm. Conrad. BVFF, Niederwöllſtadio-Solmſenſis.
- 4) Fridericus Auguſt. HOEHLER, Schornshemio-Palatinus.
- 5) Henricus Wilhelm. Julius ROESS, Idſteinenſis.



No 1627.8


KO78


ULB Halle

3

006 305 962







SCHEDIASMA QVINTVM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORVM,

A. MCCXCV.

AD LVSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS

AVVMNALEM,

B. VIII. MENSIS SEPTEMBRIS A. R. S. clō Io cc lxxvii.
CELEBRANDAM,

PATRONOS, FAVTORES,
ATQVE
AMICOS LITTERARVM,

QVA PAR EST OBSERVANTIA, ET HVMANITATE

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.

